PHILIPPO ARTICO CENETENSI S.S. THEOLOGIÆ DOCTORI ORATORI CLARISSIMO OB…

Marco Foscolo

PHILIPPO ARTICO

CENETENSI

S. S. THEOLOGIAE DOCTORI

ORATORI CLARISSIMO

OB SACRAS QUADRAGESIMALES CONCIONES

IN ECCLESIA ITALICA VIENNENSI

ANNO 1833

SUMMO OMNIUM ORDINUM PLAUSU HABITAS.

VINDOBONAE.

TYPIS CONGREGATIONIS MECHITARISTICAE.

ODE.

Te suos late populos docentem
Audiit lauro redimitus Ister:
Hinc Tuis Alpes onerata palmis
Fama salutat.

Quo procul fertur mea mens? Sacratas
Te petens aedes subeo: benignus
Vultus apparet, facilisque noto
Vox sonat ore.

Quae Tibi circum stupefacta plaudit
Turba? laetis specto oculis virorum
Agmen, et longis generoso ab annis
Sanguine natos

Ecce Romanae Tibi dexter adstat
NUNCIUS sedis. 1) favet ipse praesens
Qui sacris Viennae moderatur urbem
Aequûs habenis. 2)

Inter at claram pietate, et armis
Caesaris gentem, velut astra lucent
Sole sub nostro, genitae potenti
REGE SORORES. 3)

Quin, ubi festâ redeunte olivâ
Sumpseras pacis celebrare dona,
Pace REGNANTIS Tibi MAGNA CONJUX
Adfuit ultro. 4)

Quid modo imbelli cithara canemus,
Qua vales mente ingeniique vena?
Proximum testis Procerum vocantum
Fervor in annum. 5)

Non enim nostrae sonitus loquelae,
Vox nec allexit liquida Italorum;
Dulce nec coelum, patriaeque lenis
Profuit aura.

Prole mutatos veterum recenti
Audiunt mores recipi, et precantur
Turpis ut sacris jaculatus armis
Concidat error.

Jura custodit bona lex, honestas
Lege res servat, vitiumque vexat.
Vindice Augusto, comites sequuntur
Crimina poenae.

Quid tamen Virtus? ruit insolescens
Cuncta foedando impietas malorum
Nec satis cunctas prohibere noxas
Justa bipennis.

Damna, quae culpae retulere, nullâ
Saepius poenâ reparant: nec ensis
Spiritum mutat, neque lacrimosa
Carceris umbra.

Parva dant parvi; premit unus omnem
Impetum mentis, tumidumque fastum
Rector aeternis potiore centum
Voce catenis.

Vox Dei, quocumque fluens ab ore
Pellit errores, animumque firmat:
Dic, tuis quid non aget ipsa manans,
ARTICE, labris?

Marcus Foscolo.

N o t a e.

1) Petrus Ostini, Archi-Episcopus Tarsensis, Nuncius Apostolicus Viennae.

2) Vincentius Eduardus, Princeps Archi-Episcopus Metropolitanae Ecclesiae Viennensis.

3) Maria Anna, Regina Hungariae, Archid. Austriae, Princeps. R. Sabaudiae etc. etc.,

et

Maria Theresia ex Sabaudiae et Principibus, Lucensis Ducis, Reginae soror. etc. etc.

4) Carolina Augusta, Imperatrix Austriae, Regina Hungariae, Bohemiae etc. etc. etc.

5) Philippus Dr. Artico a principibus Italicae Nationalis Congregationis Viris confirmatus iterum fuit Concionator in eadem Ecclesia pro sequenti proximo anno 1834.

